





*Q. D. B. V.*  
EXERCITATIONUM ACADEMICARUM

*Ad  
Quinquaginta*

**DECISIONES**  
**IMP. JUSTINIANI**

PRIMAM

ad

L. ult. C. de Negotiis gestis.

DE

NEGOTIIS PROHIBENTE  
DOMINO GESTIS

von

VERBODENEN VERWALTUNGEN  
FREMBDEN GESCHÄFFE

Quam proponit

P R Ä S E S

**ULRICUS MARBACHII**

U. J. D. Codicis & Feud. Consuetud. P. Ord.

Venerandi Capituli Thomani & Facultatis Juridicæ SENIOR.

SOLENNITER

pro viribus defendet

**ELIAS SILBERAD,**

ARGENTINENSIS.

*Ad Diem 12. Mensis Decembris.*

ANNO CHRISTI M DCC XI.

Typis JOHANNIS PASTORII.

17.  
839

1711,7


VIRO  
*MAGNIFICO, AMPLIS-*  
*SIMO atq; CONSULTISSIMO,*  
DOMINO  
JOH. JACOBO  
FRIDIO,  
JCTO, REGIÆ ARGENTINENSIS  
REIPUBL. CONSILIARIO, ET  
ADVOCATO EXCELLEN-  
TISSIMO,

*Patrono & Mæcenati suo in æter-  
num colendo.*

Dissertationem hancce Academicam  
in ulteriorem sui commendationem

*Et debitum gratissime mentis indicium submissâ cum  
veneratione offert & consecras*

Devinctissimus Clien.  
ELIAS SILBERAD, ARGENTINENSIS,



J. N. J.

## P R O O E M I U M .

Ogitanti mihi de materiis juris utilibus, ac seculo nostro accommodatis, publicæ disquisitioni subjiciendis, venerunt in mentem *QUINQUAGINTA DECISIONES*, ut nominantur, quibus Justinianus, Imperator sacratissimus atque felicissimus, antiquorum Jurisconsultorum controversias composuit, sive, ut Tribonianus loquitur in §. 3. *Inst. de libertin.* antiqui juris altercationes placavit. Rationes mihi præprimis duæ fuerunt. *Prima*, quod illarum tractatio ansam præbeat, tam inquirendi veram philosophiam, ex qua elegantissimæ depromptæ inventiuntur rationes veterum, quam interpretandi plurimas Digestorum Leges difficiles atque intricatas. *Secunda*, quod illæ constitutiones exhibeant multa Jurisprudentiæ argumenta specialia atque utilissima, de quibus, quantum quidem mihi constat, raro vel nunquam theses publicè propositæ fuerunt. ex professo quidem *Inglefius* atque *Merilius* ad eas scripsere, sed qui in paucorum manibus hodie versantur. *Ludvrell.* Disputationem Inauguralem de illis in genere conscripsit. *Strauchius* Exercitationes Academicas ad easdem in Academia Jenensi habitas

A

bitas

bitas edidit, sed sex tantum constitutiones interpretatus est. Utrum alii negotiis impeditus, vel morte præventus, opus hoc utilissimum non continuaverit, in medio relinquo. Cum igitur *Nobilissimus atque Præcellentissimus DN. RESPONDENS*, absolutis Collegiis, tam explicatoriis, quam examinatoriis, quibus summa ope & alacri studio Jurisprudentiae Civilis, Canonicae, feudalis leges atque consuetudines per quadriennium & quod excurrit, accepit, ante *Examina Doctoralia* profectum suorum studiorum specimen solenne edere constituerit, consilio meo, ex prædictis quinquaginta decisionibus primam elegit. Illam vero ex sententia *Merill.* qui accuratius rem expendisse videtur, & *Ludrvell* in prædicta Disputatione §. 21. & 22. *L. ult. C. de negot. g. f. esse*, existimamus. Agit verò de *NEGOTIIS PROHIBENTE DOMINO GESTIS*. Coeterum, quamvis *B. Strauchuis* accurate, interpretatione terminorum obscurorum præmissa, per rationes dubitandi, decidendi, & respondendi, decisionem præsentem, methodo alias consueta, tractaverit, mihi tamen magis placuit *Collegii Juridici Argentoratensis & BEATORUM MEORUM PROFESSORUM*, quorum cineres adhuc veneror, argumenta juris docendi ordo, nempe, paucis agere de generalibus, specialia, in cōsentaneis, & in his, causis & effectibus, atque dissentaneis, subjicere. Hoc enim modo observato, & regula & jus strictum, atque in singularibus casibus *equitas*, uti spero, manifestius patebit. Quam methodum etiam in reliquis, qua fieri poterit, observabo, si *DEUS* vitam, otium & Respondentes concederit.

Ad

*Adspiret Sacro Sancta Trias  
cæptumque secundet.*

Verba Legis.

24. Imper. Justinianus Johanni P. P.

**S**i quis nolente & specialiter prohibente domino rerum, administrationi earum sese immiscuit: Apud magnos autores dubitabatur, si pro expensis, qua circa res facta sunt, talis negotiorum gestor habeat aliquam adversus Dominum actionem. Quum quibusdam pollicentibus directam vel utilem, aliis negantibus (in quibus & Salvius Julianus fuit) hoc decidentes sanctimus, si contradixerit dominus, & eum res suas administrare prohibuerit, secundum Juliani sententiam, nullam esse adversus eum, vel directam vel utilem contrariam actionem, scilicet post denunciationem, quam ei Dominus transmisserit, non concedens ei res ejus attingere, licet res benè ab eo gesta sint. Quid deinde, si dominus adspicerit ab admi-

nistratore multas expensas utiliter factas  
 & tunc dolosâ assimulatione habita eum  
 prohibuerit, ut neque anteriores expen-  
 sas præstet? quod nullo modo patimur:  
 sed ex quo ea testatio ad eum facta est, vel  
 in scriptis, vel sine scriptis sub testificatione  
 aliarum tamen personarum: ex eo die pro-  
 faciendis meliorationibus nullam ei com-  
 petere actionem: super anterioribus au-  
 tem, si utiliter facta sunt, habere eum  
 actionem contra Dominum concedimus  
 suâ naturâ currentem. Dat. XVI. Kal.  
 Decembr. Lampadio & Oreste Coss.

Letio.

**H**UJUS decisionis verborum lectio, in omnibus e-  
 ditionibus, quas videre licuit, fere eadem  
 est. Nisi quod Corpus Glossat. Lugduni Anno  
 M. D. LXXXIII. impressum, ad marginem ob-  
 servet, in inscriptione pro Johanni, alias legi Julia-  
 no. In textu, in vers. nullam ei adversus eum vel  
 directam vel utilem contrariam actionem; verba,  
 vel directam, vel utilem, in manuscripto deesse. Pro  
 verbis, quid deinde, alias quid enim. In versic. sed ex  
 quo ea testatio ad eum facta, addi, post vocem quo-  
 die. Summam hujus decisionis ex Salicet & Alexand.  
 Glossa hanc esse docet: Prohibitio Domini tollit nego-  
 tiorum gestorum actionem in his qua post prohibitio-  
 nem geruntur. Secus in his, qua prius gesta fue-  
 runt.

Specimen

*Speciem constitutionis Strauchi in exercitat.* Species  
facti.  
**I I. cap. I. num. 1.** hanc formavit: *Titius negotia absentis gerere cœpit, sumptusque in ead fecerat. si nihilominus in gestione perseveret, pro ges̄tis utiliter post denunciationem, habeat actionem ad recipiendum impensas. Decisionem , uti Glossa fecit , non apposuit, forte, quia ea ex textu satis patet.*

### POSITIO I.

**H**is ad ipsum textum præmissis, in interpretatione ipsius argumenti, de vocibus, *negotiorum Prohibente. Domino. gestis.* multis non agemus, partim, quia *C. I. A.* ad hunc titulum, & *B. Senior Rebhan. in Hodeg. Jur. loc. convenientibus*, partim, quod ea, quæ necessaria videri possint, *Strauch. loc. all. n. 2. & seqq.* jam antea observarunt. Ad DEFINITIONEM potius pergendum. Est autem actus, quo quis negotia alterius ab initio ignorantis, postea vero cognoscens, vel, re adhuc integra, vel post administrationem ceptam, denunciatione facta specialiter prohibentis, res ejus attingit, nullam vel directam vel utillem contrariam adversus Dominum producens actionem. Dicitur loco generis, quod sit actus, probatur perl. 2. ff. b. t. ibi: ipse actus sui rationem. l. cum actus 17. ff. eod. arg. l. 19. ff. de V. S. Nam quasi contratus esse nequit, quia consensus præsumptus plane tollitur per contrariam domini prohibitionem. Reliqua definitionis verba singularum causarum tractatio satis explicabit.

### POSITIO II.

Negotiorum gestio DIVIDITUR, Primò à causa divisiones, efficiente, quod alia sit necessaria alia voluntaria. l. 3. §. pen. ff. l. 20. C. b. Illa est, cum quis coactus gerit, idque vel necessitate urgente, ut cum curator adolescentis, furioso, mente capti, prodigive res administrat. l. 3. §. 5. l. curatorem 6. C. de neg.

A 3

ges̄t.

ges<sup>t</sup>. vel cum executor à judice datus negotia gerit. l. 3. §. si executor ff. eod. Item, cum tutor negotiorum gestionem posthumi inchoatam, etiam si posthumum nasci non contingere, perficere tenetur l. cum pater. 29. ff. eod. l. si nemo 19. §. fin. ff. de testam. tut. HEC est, quando quis sponte & nulla necessitate cogente, negotiis se alienis immiscet. d. l. 3. §. pen. l. sive iusfr. 32. l. mandat. 46. §. 1. ff. eod. tit. Estque duplex, alia simpliciter voluntaria, alia amicalis, qua quis amicitia & affectione domini negotia ejus suscipit. l. si pupilli 6. §. sed si ego 6. ff. b. l. l. alimenta. II. C. eod. In his traditur regula, satis abunde sufficere, vel in una specie per amici laborem consuli. l. tutores. 39. §. 2. de admin. & pericul. tutor. l. tutori. 20. C. de negot. ges<sup>t</sup>. Non videtur tamen ad necessariam negotiorum gestionem decisionem pertinere. Secundo dividitur ab objecto, quod alia sit judicialis alia extra judicialis. Illa est, si quis in iudicio domini ignorantis causam defendit. l. liberto. 31. §. 2. & 4. l. qui servum. 41. ff. de Neg. ges<sup>t</sup>. C. 7. A. ad hunc tit. thes. 8. in fin. Dissent. Eckold. ad b. t. §. 1. ibique Schw. Tertio, iterum ab objecto, quod alia sit rei singularis, alia plurium negotiorum. Hac est, quando quis omnia vel plura Domini negotia administrat, quo pertinent textus in l. si pupilli 6. §. sed si hominis liberi. 7. & §. ult. l. debitor. 13. l. at qui natura 19. §. 1. & seqq. ff. b. t. Quarto, ad exemplum mandati, à fine, quod alia, negotiorum gestio sit tantum Domini gratia, quae regularis est, & in qua, magna absentium utilitas versatur. Vid. l. 1. ff. b. t. alia Domini & negotiorum gestoris. Vid. l. si pupilli. 6. §. si quis ita 4. & §. & si hominis liberi. 7. ff. eod. alia tertii gratia. Vid. l. 6. 7. §. si Terti ser- vum 8. l. que utiliter. 45. §. 2. ff. eod. Alia tertii & Domini putativi gratia, ratihabitione scilicet secuta. d. l. 6. §. item queritur. 9. ff. eod. Alia negotium tantum gerentis, qui quod improbe ad negotia Domini accessit, tantum in quod hic locupletior factus, contra eum habet actionem. d. l. 6. §. 3. ff. eod.

## POSITIO III.

Perspectis pro instituti ratione generalibus, consequens est, ut ad specialia argumenti animum vertamus. In his

his consideranda venit ab initio *causa efficiens*, quæ vel remota est vel proxima. *Remota* est *IPS*, & quidem primo *Divinum*. Ut enim Ulpianus in *l. si pupilli* 6. §. sed si ego 6. *l. is, qui* 44. ff. b. *l. amicitia*, tanquam *causa gemitoris* facit mentionem. Tryphoninus in *l. qui sine* 38. ff. eod. amici, à quibus quis nummos accipit. Papinianus in *l. tutores*. 39. §. 2. in *fin. ff. de admin. tutor.* satis abundeque sufficere, vel in una specie per amici laborem domino consuli. Quod pium axioma repetitur ab Imp. Diocletiano & Maximiano in *l. tutori*. 20. C. de neg. gest. Ita Alexander in *l. alimenta* 11. C. eod. maternæ pietatis. Gordianus in *l. paterno* §. 15. C. eod. paterni affectus meminerunt. Optima sane ratione, cum amicus ex mente potest perpendere voluntatem sui amici & servare. arg. *l. Pamphilo* 39. ff. de legat. 3. Ita hic actus præcipue in charitatis operibus fundatus esse debet, quæ scriptura Sacra à Christianis præcisè requirit. Vid. ad *Roman. cap. XII. v. 10. 13. & 20. ad Corinth. l. cap. XIII. ad Gal. V. vers. 6. cap. VI. v. 10. l. ad Thessal. IV. vers. 9. & 10. add. Job. XXIX. v. 12. & 16. cap. XXXI. vers. 17. & seqq. Psalm. XLII. v. 2. Proverb. XXXI. vers. 8. & 9. Videat. Grot. de Jur. B. & P. lib. II. cap. X. §. 9. ibique Tescmar, in not. ubi ait, plenum id pietatis esse, spectat enim ad salutem & conservacionem bonorum, que in sacris tantoperè commendantur. Deut. XXII. princ. Secundo naturale. Naturalis enim & civilis ratio suavit, alienam conditionem meliorem etiam ignorantis & inviti nos facere posse, uti philosophatus est Cajus in *l. solvendo* 39. ff. b. t. atque Pomponius in *l. 14. ff. de cond. ind.* & *l. 206. ff. de R. q. vice versa* tradidit. Hoc natura æquum est, neminem cum alterius damno fieri locupletiorem. Quod Papinianus his verbis in *l. hac conditio*. 65. ff. de cond. ind. exprefsit. Hæc conditio ex bono & æquo introducta, quod alterius apud alterum sine causa deprehenditur, revocare consuevit. Puffendorff. in *Tract. de Iur. Natur. & Gent. lib. V. cap. IV.* (in quo de contractibus beneficiis in specie agit.) num. 1. philosophiam veterum Jurisconsultorum approbat, docens pleraque que ab Interpretibus juris Romani de negotiis gestis tradita sunt ex iure natura & gentium de-  
sumpta*

*Causa efficiens.*  
*Remota.*

*sumpta esse*, & inter contractus beneficos primum locum mandato tribuens. Addendo. Negotiorum autem gestiones fundamentum non incommode mandatum tacitum appellare possumus *Vid. §. 5. Inst. de I. N. G. & C. l. 7. pr. & §. 1. ff. de paci. l. 1. §. 3. ff. mand. C. I. A. ad Tit. de procurator. §. 14. & ad Tit. mand. §. 1. & 5. Dissent. vid. Grot. loc. s. all.* Tertio est *Ius Civile*, quod Jus Gentium recepit, atque Praetor in l. 3. princ. ff. de *N. G.* edictum proposuit. Ceterum, uti, nihil tam naturale est, quam eo genere quidve dissolvere, quo colligatum est. *l. 35. ff. de R. I. §. ult. Inst. quib. mod. oblig. toll.* ita omni juri, contradicente domino, negotia sua geri, vel actus ab initio impediuntur, vel incepti disolvuntur. Quam sententiam inter antiquos docuit Julianus in l. si autem. 8. §. ult. ff. b. *Paulus in l. si pro te. 40. ff. mand.* contra Proculum aliosque, cuius vestigium invenitur in l. si quis servum. 29. ff. de pecul. atque illam Justinianus approbavit nostra decif.

*POSITIO IV.*

*Proxima.* Proxima causa efficiens in casu nostræ Constitutionis, ex parte *gerentis*, est voluntas ejus vera, aliena negotia suscipiendi. *l. 3. §. 6. & l. si pupilli. 6. ff. b. l. Vid. tamen l. item 5. ff. & l. tutori 20. C. eod.* animo inducenda obligationis. *l. 4. l. ex duobus 27. §. 1. ff. arg. l. 1. & l. alimenta II. C. eod.* In nostr. decif. verb. administrationi se immiscuit, junct. verb. talis negotiorum gestorum habeat actionem. Ex parte vero *Domini*, administrationis prohibito, & contradictione, ibi: *nolente & specialiter probidente Domino*, & iterum, *si contradixerit Dominus, & eum res suas administrare prohibuerit.* Per hanc enim expressam contradictionem, presumptus consensus, & facta conventio, ob quam Dominus, se negotiorum gestori obligare voluisse jura nostra docent, annulatur. Expressum siquidem facit cessare tacitum, *arg. l. cum ex filio. 39. §. 1. ff. de vulg. & pupill. substit. & l. maritus. 21. C. de procur.*

*Causa im-  
pulsiva; &  
notantur.*

*POSITIO V.*

Nunc ad causas impulsivas novæ nostræ decisionis venient.

nendum. Cum autem Justinianus referat, apud magnos autores dubitatum fuisse, si pro expensis, quæ circa res factæ sunt, negotiorum gestor habeat actionem, quibusdam pollicentibus directam vel utilem, de rationibus horum Jurisconsultorum paucis videbimus. Observandum tamen, quid auctorum voce Imperator intelligat, varie enim illa accipitur. In genere Latinis dicuntur, qui jus agendi, vel verè vel secundum opinionem præstant, quorumque auspicio actus valent, aut valere creduntur. Sic tutores autores appellantur, l. etiam. 16 ff. de aucto. int. autores seditionis. l. ejusdem. 3. §. item is. 4 ff. ad L. Cornel. de siccari. l. si quis. 38. §. 2. ff. de pen. In specie auctor legis ad populum, autores juris, quibus, seu principibus sectæ & capitibus utimur; & quorum fide sententia de jure aliquo consistit. l. quaro. 39. in med. ff. de A. E. Sic Gellio. 2. 10. Servius Sulpitius Juris Civilis auctor appellatur, cujus responsis fidebatur. Ita ergo & Justinianus magnos juris autores usurpat hoc loco. Vid. C. I. A. ad Tit. de aucto. tutor. §. 2. Et Rebhan. in Hod. Jur. chart. 2. clim. 1. §. 21. in exib. atque impr. Strauch. ad noſt. decij. cap. 1. num. 13. Ecquos verò illos? Proculum præcipue, quem eodem sensu non levem juris auctorem Divi fratres in l. Divi. 17. ff. de Jur. Patron. nuncupant, & Julianum, qui ex Secta Sabinianorum fuit, & cum singulari honore ab Imperatore ipso nominatur. Proculiani actionem negotiorum gestori concedebant. Horum rationes sequentes fuisse videntur. Prima desumitur ex verbis edicti generalibus. Si quis negotia alterius, sive quis negotia, quæ cujusque, cum is moritur, fuerit, gesserit, judicium dabo l. 3. pr. ff. b. t. Patet nullam distinctionem fieri, & præterea Ulpianum in d. l. 3. §. 4. s. Et 7. illud edictum ita interpretatum esse, ut ex solo negotio gesto oriatur actio. Quæ autem sunt generalia, generaliter sunt intelligenda. l. 8. ff. de public. in rem. act. Secunda, ex sententia Proculi in l. si quis. 17. §. 4. ff. de inst. action. quod dolo malo videatur facere, qui ex aliena iactura lucrum querat. Quam pro potissima habet Strauch. all. disput. cap. 1. n. 17. & ita applicat. Proponitur ibi dominus locupletior ex facto servi, cui pecunia

nia credita erat contra denunciationem Domini. Quærebatur, an contra creditorem exceptio danda, si illi non denunciaverit, ne illi servo credatur. Et Proculus quidem exceptionem domino arbitratur, dummodo non facto locupletiori. Nam adversus locupletiorem replicari concedit de dolo, adjecta, quam dixi, ratione. Ergò nec dominus negotii post denunciationem lucrum quærere debet, cum hæc lex naturæ sit. *I. nam hoc 14. ff. de condit. indebit.* Tertia ex opinione prædicti Proculi, *ex l. 3. in fin. & l. 4. ff. mand.* quasi quis mandati fines excessit, actionem mandati concedit, pro quantitate mandata, quam negabant Sabiniani. Inde videtur sequi, sicut contractus mandati, ne mandans fiat locupletior cum damno alterius, valet, ita idem in negotiorum gellione propter domini utilitatem, obtinere debet. Quartæ ratio dubitandi *ex l. si dominus 36. §. ult. l. 38. ff. de petit hered. & l. 5. C. de R. V. desumitur.* In illis enim constitutum, prædonem pro repetendis non tantum necessariis; sed etiam utilibus impensis habere actionem contra dominum. Ergo, multo magis negotiorum gestor, qui alieni commodi causa bona fide negotium gerit, necessarias & utiles impensis repetendi jus habet, cum nulla ratio sit, cur negotiorum gestor deterioris conditionis esse debeat quam prædo. Facit *huc l. si pupilli 6. §. 1. ff. b. t.* Quintam rationem dubitandi suggerit *l. qua utiliter 45. §. ult. & passim b. t.* quod deficiens domini voluntas non excludat negotiorum gestorum actionem, si gestor in damno veretur. Sexta ratio dubitandi continetur in *l. si autem 8. §. ult. ff. b. t.* (in qua Juliani ipsius sententia refertur) ubi in fine præfatis species ita decisa, ut is, qui prohibuit, ex nulla parte, neque per socium, neque gestorem aliquod damnum sentiat, inde videtur concludendum, decisionem nostram ad damnum restringendam esse.

## POSITIO VI.

*Rationes  
decidendi.*

Sabiniani, cuius (quos inter Julianus, Paulus & Pomponius, attestante *l. si pro te presente. 40. ff. mand.* erant) contra negaverunt, & horum sententiam Imperator secutus est. *Rationes illorum* potissimum sequentes fuere. Prima, desumitur

mitur ex textu nostræ decisionis, ibi *non concedens ei res suas attingere.* Quæ verba dissensum alterius partis indicant. Regula autem juris naturæ & gentium à jure civili approbata est. Mandatum tam expressum, quam tacitum duorum plurimumque consensu contrahi. *Vid. l. 1. §. 1 ff. de pæct. princ. Inst. de Oblig. ex consens. l. 1. princ. ff. mand.* Igitur contrario interveniente dissensu tollitur. *§. ult. Inst. quib. mod. coll. obl. l. 35. ff. de R. I.* Secunda ratio decidendi pater ex his verbis: *invito & specialiter prohibente Domino, item si contradixerit dominus & eum res suas administrare prohibuerit:* Cum ex principiis actionum humanarum constet; *Quod prohibitio jus operandi ab agente moraliter auferat. per l. sed si ii. §. 2. & §. 5. vers. item si plures. ff. de inst. action. cuius consequens est, ut si nihilominus prohibitus facere impensas perrexerit, neque alterum sibi obligare possit. per l. si servus. 27. §. si ollivam. 25. ff. ad l. Aquil.* Non minus quam si quis sciens in debitum solvit, licet repetendi animo. *l. quod si quis. 10. ff. de condit. indeb.* Quam ratione decidendi præcipuum esse putavit Strauchius *in sap. all. exercit. II. cap. II. num. 20. Tertiam* inferunt verba; *Licet res bene gesserit; quæ nituntur regulæ generali, quod invito beneficium non detur. l. hac verba. 69. ff. de V. S. l. fin. C. und. legit. l. hoc jure. 19. S. non potest. 2. ff. de donat.* Quartam subministrant verba: *do-losa ad simulatione habita cum prohibuerit.* Quæ cum exceptionem contineant, firmant regulam in casu non excepto. Regula autem tradita est in §. 9. *Inst. mand.* Rectè quoque mandatum contractum, si tum adhuc res integrâ sit, revocatum fuerit, evanescit. Extinctum enim est mandatum, finita voluntate *l. si vero non. 12. §. si mandavero. 16. ff. mand.* Huc facit, sicuti, si meum negotium, mea contemplatione gestum est, & ego illud ratum habeam, mandati nascitur actio. *l. semper, qui. 60. ff. de R. I. l. post rem. 56. ff. de Re. Ind. l. sed & si. 25. ff. de donat. int. vir. & uxor.* ita si ratum non habuero, ea evanescit. *arg. l. Pomponius. 9 ff de N. G. Quintam* involvunt verba: *sua natura currentem.* Hac enim natura n. gest. esse videtur, ut dominus sive præsens, sive absens, sit ignorans. *Vid. l. 2. ff. b. vel pro tali habeatur, arg. l. qui.*

*I. qui patitur 18. ff. mand. l. 3. ff. de R. I.* Qui autem ab initio, vel ex post facto contradicit, pro ignorantie haberi nequit. *Sextam Julianus in d. l. 8. §. ult. ff. de N. G.* docet, quod non iniquum sit, eum qui prohibuit, suo facto liberari, ita ut ex nulla parte, neque per solum, neque per negotiorum gestorum aliquod damnum sentiat. *Septimam Cajus in l. solvendo. 39. ff. de N. G.* in regula generali tradit. Naturalis atque civilis ratio fudat, alienam conditionem deterorem facere nos non posse. Inde Labeo in *l. & si quis 14. §. 13. ff. de relig. & sump. funer. judicavit.* Generaliter iussum judicem (in funeraria actione) non meram negotiorum gestorum actionem imitari, sed solutius aquitatem seq*ui*, cui hoc ei & actionis natura indulget.

## POSITIO VII.

*Rationes  
responden-  
tia.*

Ad rationes, quae pro sententia Sabinianorum Posit. V. allegata sunt, paucis responderi potest. Ad primam; illam veram esse, quando negotium durat esse domini ignorantis, mutare autem suam naturam, quando fit scientis, prohibentis & contradictentis. Ad secundam; Argumentum ab actione institutoria ad actionem negotiorum non concludere. Cum in illa, actionem de peculiq vel de in rem verso, non tollat denunciatio domini, ne quis servo crederet. *l. si quis servum. 29. §. 1. l. quoties 47. pr. ff. de pecul.* Hac vero per prohibitionem, denunciatione solenniter facta, extinguatur. *Vid. Straub. Exercit. 2. cap. 2. num. 6. 7. 8.* Quod si forte generalitas regular replicetur, dicendum, quod contradictiones sint, lucrum querere & repudiare: item beneficium invito non dari, gerentem habuisse animum donandi, scienter agendo actum, ex quo hac civilis obligatio non oriatur, cum non tantum culpa sit se immiscere rei ad se non pertinenti, *l. 36. ff. de Reg. Jur.* verum etiam damnum, quod quis sua culpa sentit, non sentire videatur. *l. 203. ff. eod.* Ad tertiam, magnam esse differentiam inter mandatarium & negotiorum gestorem. Ille enim, ad summam mandato convenientem, mandantis voluntatem habet, & consequenter conventionem per se validam. Hic vero per prohibi-

tio-

tionem domini amittit voluntatem ejus à lege præsumptam,  
 & conventio tacita plane dissolvitur. *Ad quartam*; *B. Stran-*  
*chium loco allegato* verè quidem distinguere, inter judicium  
 univerfale hereditatis petitionis, quod per impensas à prædo-  
 ne factas diminui intelligitur, & singulare, sive reale, sive  
 personale sit, perinde est. §. 30. *Inst. de A.R.D.* Præterea, ma-  
 gnam esse differentiam inter prædonem & negotiorum gesto-  
 rem administrare prohibutum. Quia ille in possessione con-  
 stitus usucapere possit; hic vero nullam possessionem rei  
 habeat. *Ad quintam*; veram, quæ allegata est, regulam esse,  
 habere autem suas exceptions. Certè non procedere, si al-  
 ter suo jure utatur. *l. 55. ff. de R. 7. l. 151. eod.* uti in nostro  
 casu. Ad ultimam, licet sit, secundum sententiam Juliani,  
 à Justiniano in nostra decisione approbatam, verum damni  
 tantum fieri mentionem, id tamen respectu socii non prohi-  
 bientis, non respectu negotiorum gestoris intelligendo.

## POSITIO VIII.

*S V B I E C T U M A C T I V U M*, cuius gestioni do-  
 minus contradicere potest, in hac decisione indicatur his  
 verbis ( 1. ) *Si quis administrationi earum se immiscuerit.*  
 ( 2. ) *talis negotiorum gestor habeat adversus dominum ali-*  
*onem.* ( 3. ) *qui res domini administrat.* ( 4. ) *qui res ejus at-*  
*tingit & eas bene gestit.* ( 5. ) *ab administratore multis expen-*  
*sas utiliter factas.* Notamus autem regulam, quæ jus univer-  
 sale docet, & facta singularia, quæ ampliations & limitatio-  
 nes regulæ continent, & in quibus *aequitas* ( vel *jus singulare* )  
 obſervanda. Regulam hanc Exempla effe exiftimamus. *Quicunq;*  
*ad dominum negotia ejus gerere & administrare prohibetur, ille gulam,*  
*ea non attingere nec administrare debet, licet alias obligatio-*  
*nem contrahere possit.* *l. 3. ff. de Neg. gest. junct. l. si autem 8. §.*  
*ult. l. solvendo. 39. ff. eod. & nost. hac decis.* Nec interest,  
 five masculi, five feminæ, five sui juris, five alieni, five ma-  
 jores, five minores sint, five ingenni, five libertini. *l. 3. §. 3.*  
*& 4. l. successor. 14. l. eum actum. 17. & seqq. l. liberto. 31.*  
*princ. l. mandasti. 46. princ. ff. de N. G. l. 2. C. eod.* Facta sin-  
 gularia,

gularia, in quibus *aequitas* simul consideranda, secundum regulam esse censentur. (1) Si quis putavit à Domino mandatum, ea gessit. *I. item si quis. 5. ff. de N.G.* (2) Si libertus, qui auctum in servitute incepit, post manumissionem verò id quod ei connexum est, continuavit, modo illud separari potuit. *arg. I. eum auctum. 17. ff. h.t.* (3) Utiplures unius ejusdemque negotii possunt esse gestores, ita vel omnibus, vel uni & alteri ex illis dominus contradicere potest *I. cum alicui. 26. ff. eod.* (4) Frater legitimæ ætatis, minoris ætatis fratrem habens, in prædiis ruricis communibus ampliæ adficia constructurus, prohiberi poterit. *I. ex duobus 27. pr. ff. eod. tit.* Similiter (5) qui à patre posthumo tutor datus, non nato posthumo. *I. cum pater 29. ff. eod.* (6) Mater à filiæ sponsa donatas res acceptura. *I. fidejussor. 32. §. 1. ff. eod.* vel res minorum non materna pietate, sed impensas recipiendo animo faciens *I. alimenta 11. C. eod. add. I. Nefennius 34. ff. eod.* (7) Maritus divorcio facto uxoris gerens negotia. *I. divorcio 35. ff. eod.* (8) Debitor creditoris sui negotia gerens. *I. qui sine usuris 38. ff. eod.* (9) Pater, qui negotia à domino filio mandata gerit. *I. mandasti 46. pr. ff. eod.* (10) Curator minori filio patris testamento non jure datus, administrationi tamen bonorum se immiscens. *I. curatorem. 6. C. b. t.* (11) Successores curatoris negotia paterni minoris gerentes. *I. curatoris. 17. C. eod.* (12) Hæres pro solito rem cum hæredibus communem vendere volens. *I. ab uno. 19. C. eod.*

## POSITIO IX.

*Quoadexcepiones.* Exempla quibus regula supra dicta vix locum habere poterit, inveniuntur sequentia. (I) qui affectione coactus, ne bona domini distrahitur, negotiis se obtulit, æquissum videtur, eum non prohibere. *arg. I. 3. §. 9. ff. de N.G.* (II) Si quis pro debitore fidejuss'erit, imprimis propter beneficia, quæ illis competitunt. *I. 3. §. ult. & I. seq. ff. eod.* (III) Si avunculus pietatis respectu alueri fororis filiam. *I. ex duobus 27. §. 1. ff. eod. junct. I. alimenta 11. C. eod.* (IV) Si creditor debitoris negotia gerens, & hic debita illius solvere non possit *I. divorcio facto 35. ff. h.t.* (V) Si pater res emancipato filio dona-

donatas administraverit, sine nova causa superveniente, l.  
litis contestata. 37. §. 1. ff. eod. (VI) Si quis solvere velit pro  
alio, invito licet, maxime observato cessionis beneficio. l.  
solvendo. 39. l. cum pecuniam. 43. l. quæ utiliter. 45. l. ult. in fin. ff.  
l. filia. 12. C. eod. (VII) Si quis sumptus honeste ad honores  
per gradus pertinentes pro alio fecerit. l. que utiliter. 45.  
ff. b.i. (VIII) Frater pro fratre cohærede pecuniam solverit,  
five pignoris liberandi causa debitum universum dederit. 1. 3.  
C. eod. (IX) Maritus, qui in funus uxoris, quid eo nomine  
quasi recepturus erogaverit. l. quod in uxore. 13. C. eod. (X) Vi-  
tricus privignas suas aluerit, seu mercedes pro his magistris  
expenditur, accedente repetendi animo, nisi prægnantissima  
causa supervenerit. l. si paterno. 15. C. eod. (XI) Frater pro fra-  
tre tributa solvere voluerit. l. si negotium. 16. C. eod. (XII)  
Qui servum ægrum non inutilem domino curaverit. l. si ser-  
vum. 10. C. eod. Et si quæ sunt similia exempla, quæ vel ex Cor-  
pore juris, si temporis ratio permisisset, adduci potuissent, vel  
adhuc hodie in ipsis rerum argumentis contingere solent. Jus  
enim constitutum universale & finitum, facta vero sunt infi-  
nita & singularia. Quo pertinet illa ipsius Juliani philoso-  
phia in l. 12. ff. de LL. Non possunt omnes articuli singillatim  
aut legibus aut Senatusconsultis comprehendendi, sed cum in ali-  
qua causa sententia eorum manifesta est, qui iurisdictioni praest,  
ad similia procedere, atque jus ita dicere debet. junct. l. nulla. 25.  
ff. eod.

## POSITIO X.

SUBIECTUM PASSIVUM in nostra decisiō-  
ne constituitur dominus rerum. Ibi nolente & specialiter pro-  
hibente DOMINO: item adversus dominum actionem: Itē-  
rum, si contradixerit DOMINUS: quam & DOMINUS  
transmisit: si DOMINUS adficerit, habere cum contra  
DOMINUM actionem concedimus. In Edicto in l. 3, princ.  
Prator generaliter edixit. Si quis alterius, (quod ad utrum-  
que sexum refertur, intelligitur autem absens videlicet &  
ignorantis, ex Legibus præcedentibus, vel præsentis quoque,  
ratihabitione vel post perfectum negotium superveniente. l.  
*Pons.*

Pomponius 19. ff. l. si procurator. 9. ibique DD. C. de Neg. ges. )  
 sive quis negotia, quæ cujusque, cum is moritur, fuerint; (id  
 est hæreditatis jacentis; ob rationem, quæ allegatur in l. 3. §.  
 hac verba. 6. l. debitor meus. 13. ff. eod.) judicium dabo. In  
 utroque textu eadem persona intelligitur. Nam vox Domini  
 juridica acceptance latissima, vid. C. f. A. ad Tit. de A.R. D.  
 th. 2. B.D. Rebhan, in Hodeger. jur. chart. 3. clim. 1. §. 20. in èrø.  
 Et in Parolipom. Meier. decad. 5. quest. 3. illum denotat, etiam  
 qui rerum incorporalium quasi dominium habet, imo cum,  
 ad quemcumque res quæpiam quounque modo pertinere  
 potest. Quoad igitur IUS UNIVERSALE in praesenti de-  
 cione, illud hac regula traditur. *Quicunque est dominus*  
*rerum quounque modo, & earum arbitrium habet, ille gesto-*  
*ri, negotiorum ad se spectans, vel ab initio, vel ex postfacto admi-*  
*nistrare specialiter prohibere, denunciatione desuper facta,*  
*legitimè potest.* Fundatur hæc regula in ipsa dominij sub-  
 stantia, secundum quam dominii essentiale est, dere sua libe-  
 rè disponere. l. in re mandata 21. C. mandat. l. 2. ff. de his  
 qui sui vel alien. jur. sunt. l. per provincias. 10. C. de adif.  
 privat. cap. de his. 4. extr. de sepultur. etiam abutendo  
 l. sed & si lege. 25. §. consuluit. 11. ff. de petit. hered. Inde  
 iniquum est, homini ingenuo non esse liberam rerum sua-  
 rum administrationem. l. 2. ff. si à parente quis manumi. Bald. in  
 procœlio. ff. collat. pen. vers. juxta hoc quer. Castrens. vol. 2. cons.  
 125. Ampliatur autem in diversis à jure notatis casibus, in  
 quibus domino rerum jus prohibendi competit. Ut (1)  
 Curatori furioso dato, si quis hujus negotia gerere voluerit.  
 arg. l. 3. §. 6. ff. de Neg. ges. Sic tutori, si negotia pupilli gesta  
 arg. l. si pupilli. 6. princ. ff. eod. (2) Hæredi, adita hæreditate, si  
 quis negotia gesterit, quæ cujusque, cum is mortuus, fuerint.  
 arg. l. 3. §. 6. l. successor. 12. §. 1. ff. eod. junct. §. 4. Inst. de Hered.  
 Inst. l. si ex re domini. 28. §. 4. ff. de stipulat. servor. facit. Nov.  
 48. cap. 1. (3) Domino, cujus negotia re ipsa gesta, sed  
 non absoluta sunt. arg. l. 5. §. 1. ff. negot. ges. (4) domino, ad  
 quem pecuniam vel aliam rem transferendam gestor accep-  
 erat. l. si pupilli. 6. §. 2. ff. eod. (5) Cujus negotia gesta, lucri  
 gestoris gratia, cum deprædandi causa accederit, imo impro-  
 be

In univer-  
sitate in re-  
gula.

In Amplia-  
tionibus.

be egerit. in casu d. l. 6. §. 3. (6) Patri & hero, quorum filii  
 vel servi negotia peculiaria contemplatione patris vel domi-  
 ni gesta sunt. Filio vero vel servo, si amicitia vel contempla-  
 tione eorum. d. l. 6. §. sed si ego. 6. ff. eod. (7) Homini libero,  
 in servitute putativa constituto, cuius negotia quis gesserit, ra-  
 tione administrationis rerum, quæ eum sequuntur; posses-  
 fori verò bona fidei, respectu rerum peculiarium, quæ hunc  
 sequuntur, arg. d. l. 6. §. sed si hominis liberi. 7. ff. eod. (8) Suc-  
 cessori ejus, qui apud hostes decepsit, & cuius negotia gesta, ut  
 & hæredi filiis familias militis facto testamento defuncti. l. suc-  
 cessori. 12. princ. & §. 1. l. si autem apud hostes. 20. ff. eod. (9) Re-  
 verso ab hostibus, cuius negotia, dum apud hostes esset, quis  
 administravit, etiam si eo tempore, quo gerebantur, domi-  
 num non habuerint. l. at qui natura debitor. 19. §. ult. ff. eod.  
 (10) Vero domino, cuius negotia mandato tertii gesta, im-  
 primis si mandans eum imprudenter elegerit. l. Nam & Ser-  
 vius. 21. §. ult. ff. eod. (11) Fratri minoris ætatis, si frater per-  
 fectæ ætatis in communib[us] prædiis ampla ædificave-  
 rit, factis e. gr. voluptatis gratia expensis. l. ex duobus. 27.  
 princ. ff. eod. (12) Curatori decreto ordinis ad filiigenem  
 emendam constituto, si subcurator damnum ei inferre posse.  
 arg. l. ex facto. 30 ff. eod. junct. l. 5. C. de integr. restit. major. (13)  
 Patrono vel amico, (qui liberto vel amico mandavit pecu-  
 niā accipere mutuam, cuius creditor literas fecutus contra-  
 xit, vel fidejussor intervenit) propositum scil. mutant, ti-  
 mendo, ne mandatarius pecuniā in rem suam vertat. arg. l.  
 liberto. 31. princ. ff. eod. (14) Domino, cuius res inter alia cu-  
 jusdam negotia gestor ignorans administravit, etiam re non  
 amplius integra. d. l. 31. §. 1. ff. eod. (15) Heredi, si libertos  
 pecuniā accipere testator ad monumentum faciendum ac-  
 cipere voluerit, si eos amplius erogatu[os] præsumpserint.  
 d. l. 31. §. libertos. 4. eod. (16) Quod alicui debetur, alias si-  
 ne voluntate ejus vel ratihabitione exigere non potest. Na-  
 turalis enim & civilis ratio suadet, neminem posse alienam  
 conditionem deteriorē facere l. solvendo. 39. ff. eod. l. si pe-  
 cuniā. 9. C. cod. (17) Materteræ, si sumptus in pupillum, quem  
 Romam tutorum petendorum gratia ducere velit, gestor fa-  
 cere

cere prætendat, si se id facturum paratam propriis impen-  
fis ostenderit. in l. 2. c. eod. Etsi quæ alia exempla oc-  
currunt.

*Iura singu-  
ria.*

*Limitatio-  
num exem-  
pla.*

*LIMITATIONUM* autem & *EXCEPTIONUM*  
exempla in jure hæc observare licet. In his notandæ dux  
exceptiones generales. Prima continetur in l. *solvendo*. 39. in  
*fin. ff. de Neg. gest.* Naturalis & civilis ratio suasit, alienam  
conditionem meliorem etiam ignorantis, & invitti nos facere  
posse. Secunda; Utilitas publica, utilitatæ privatæ præferen-  
da est, l. 3. §. 14. ff. ad *Senat. Syllan.* l. 3. C. de primip. cap. *Impe-  
rialem*, princ. de probib. fendi. alienat. per *Lothar.* cap. 3. X. de  
postulat. *pralat.* cap. *nisi*. 10. extr. de renunc. Inde est, quod  
propter publicam utilitatem strictam rationem insuper ha-  
beamus. l. *sunt persona*. 43. ff. de religios. His præsuppositis  
sequuntur præcipua ex jure nostro exceptionum exempla.  
(I) *Pupillum* & *furiosum* non posse gestori contradicere. arg.  
l. 5. & l. *furiosi*. 40. ff. de R. j. l. 1. §. 12. ff. de O. & A. princ.  
*Inst. de Auctlor. tur.* §. 8. *Inst. de inutil. stipul.* Quibus prodi-  
gus comparatur, qui bona sua dissipando & dilapidando pro-  
fundit, & in bonis suis diminuendis furiosum facit exitum.  
l. 1. ff. de curat. *furios.* l. 12. ff. de tutor. dat. l. *Fulcinius*. 7. §. adeo.  
vers. idemque de prodigo. ff. ex quib. caus. in possess. eat. Nec  
(II) dominum rei, si ejus procuratori, contemplatione il-  
lius quis mutuam pecuniam dederit, ut principalem credi-  
torem vel pignus liberet. arg. l. *pupilli*. 6. §. 1. ff. de N. G.) Nec  
(III) creditorem putativum, si gestor à debitore, qui debitor il-  
lius non erat, cuius contemplatione quis gestit, pecuniam  
exigere vellet, arg. 6. §. 9. ff. h.t. Ita (IV) nec illum, quem  
haredem creditoris gestor putavit, si hic debitorem hæredi-  
tarium convenerit & exigere voluerit: cum præter utilita-  
tem cessantem, ratihabitione demum sibi actionem acquirat.  
d. l. 6. §. idem ait. 10. ff. eod. Idem (V) obtinet, si in eodem  
casu infulam hæreditariam fulcire voluerit d. l. 6. §. quid ergo.  
11. ff. eod. (VI) Videtur forsitan idem dicendum, si id actum  
sit specialiter, ut neuter adversus alterum habeat actionem. l. *sed*  
*ac ultro.* 10. princ. ff. ead. (VII) Nec dominus servum suum æ-  
grum

grum curantem, item dominum insulae hanc fulcidentem prohibere potest. d.l. 10. §. 1. ff. eod. (VIII) Si tres capti essent ab hostibus, & unus ea conditione missus, ut pecuniam pro tribus adserret, & nisi rediisset, ut duo pro eo quoque pecuniam darent atque unus revertinoluisset, & propterea illi duo pro tertio quoque solvere vellent, unus iste jus prohibendi non habet. l. Nam. & Servius. 21. princ. ff. eod. tit. arg. l. si id quod donatum. 8. §. 1. in fin. ff. de donat. inter vir. & uxor. l. si patre redempto. 15. ff. de capt. l. ult. C. de postlim. revers. (IX) Praeterea iure prohibendi carere videntur, debitor, pro quo alius Creditor suo pecuniam solvit, nisi debitores intersit, eam pecuniam non solvi. l. 39. l. cum pecuniam. 43. ff. eod. (X) Ille, qui communes ades habet, si socius pro ejus parte, utiliter cavere velit. l. si communis. 40. princ. junct. l. sed an ultro. 10. §. 1. ff. eod. (XI) Verus haeres, in casu, quo quis putativi haeredis negotia gerens, creditoribus haereditariis pecuniam solverit. l. qua utiliter. 45. §. 2. ff. eod. junct. l. 44. ff. de cond. indeb. (XII) Mandator filiofamilias, ut sibi fundum emerit, & hujus pater eum illi emerit, vel eamente, quod mandanti fundum necessarium esse sciret, vel illum ejus voluntatis esse, ut emptum habere vellet, vel ne filius mandati judicio teneretur. Idem juris est, si mandaverit filiofamilias, ut pro eo fidejuberet, & pater pro eo fidejusserit. l. mandasti. 46. princ. ff. de N. G. (XIII) Frater, pro quo frater coheres pecuniam solverit, sive pignoris causa liberandi, universum debitum solverit. l. 3. C. cod. (XIV) Idem, si frater pro fratre tributa solverit. l. si negotium. 16. C. cod. Ethicæ exempla sufficiunt.

## POSITIO XII.

**OBIECTUM** in decisione nostra **RES** constituuntur & **EXPENSÆ**, quæ circa eas factæ sunt. Ibi domino quod vel RERUM, si pro EXPENSIS, quæ circa RES factæ sunt: **RES** suas administrare prohibuerit: **RES** suas attingere: licet **RES** bene ab eo gestæ: multis EXPENSAS utiliter factas: anteriores EXPENSAS præstet; profaciendis MELIORATIONIBUS. Ex quibus nostra constitutionis verbis duplex

Principale.

argumenti hujus videtur esse objectum. Alterum scilicet **PRINCIPALE**, alterum **ACCESSORIUM**. ILLUD appellatur **RES**, hoc vero, **EXPENSÆ & MELIORATIONES**. In verbis Edicti in l. 3. princ. ff. de N.G. dicuntur **negotia alterius**, sive **qua cuius**, **cum is moritur**, fuerint. Negotia autem Jurisconsulti interpretati sunt, sive unum sive plura d.l. 3. §. 3. ff. eod. honesta tamen & jure permissa. arg. §. illud. 7. **Inst. mand. l. si remunerandi**. 6. §. 3. **l. si mandavero**. 22. §. qui edem 6. ff. eod. Additur autem **alterius**, & quidem tam **absentis** quam **presentis**, ad quem primita causa & natura hujus artus postea extensa, ob utilitatem dominorum, quorum exempla occurrant. in l. 3. §. 5. l. at qui natura. 19. §. 2. l. qui servum. 41. ff. junct. l. 2. C. Eod. Vid. Eckold. b.t. §. 4. Et talia quidem, tam ratione veritatis. l. si pupilli. 6. §. 4. §. 11. l. fidejussor. 22. princ. l. qua utiliter. 45. §. 2. l. ult. ff. de N.G. quam ratione finis & intentionis, ut scilicet gerantur intuitu & contemplatione alterius. d.l. 5. §. 3. ff. eod. licet respectu illius opinio falso intercedat. l. 6. §. 9. ff. eod. Quia tamen per ratihabitionem ejus, cuius intuitu gesta sunt, quodammodo corrigi possunt. d.l. 6. §. 9. §. 10. ff. eod. Quoad illum vero, cuius negotia verè fuerunt, si intervenerit, dum adhuc geruntur, sit mandatum factum ratihabitione. l. licet. 56. ff. de judic. l. semper. 60. ff. de R. 7. cap. ratihabitionem. 10. in 6to. subsequente vero negotia gesta, quasi contractus manet. arg. l. item si cum putavi. 5. §. 2. l. liberto. 31. §. 1. l. si pupilli. 6. §. sed si hominis liberi. 7. §. §. item quaritur. 9. §. 10. l. qua utiliter. 45. §. 1. ff. de N.G. Illud adhuc videtur notandum, quod ob communem servitatem, quæ individua invito quoque socio, agi possit. l. liberto. 31. §. ult. ff. eod. Vox **R.E.S.**, qua sapientis constitutio utitur, æque late patet, quam terminus, **NEGOTIA**. Attestantibus enim C. 7. A. ad Titul. de A.R.D. tb. 2. n. II. & Rebhan. in Hodeg. chart. 2. clim. 1. in cib. sensu juridico latissimo significat omne id, quod non est persona aut actio, adeo ut etiam facta comprehendat. arg. l. 5. ff. de prescript. verb. l. damus. 52. ff. de cond. indeb. l. certi conditio. 9. §. 4. ff. de Reb. Cred. Ita in nostro argumento continet obligationem. l. 2. ff. Neg. G. fideiussionem l. 3. §. fin. & l. seq. l. fidejussor. 31. l. mandasti 46. inf. ff. eod. pecuniana

cuniam. l. 6. §. 1. ff. eod. reparationem & dium d. l. 6. §. 11. l. sed  
an ulro. 10. §. 1. exactiōnē & solutionē debiti in l. 36. ff.  
cod. item quācūq; aliam rem perferendam. arg. l. 6. §. 2.  
ff. eod. add. Bocer. disputat. 13. tb. 6. 7. 8. 9. & 10.

## POSITIO XIII.

*ACCESSORIUM OBJECTUM EXPENSAS esse* Accessoriū  
objectum  
diximus. *Expensa* in rationibus ab antiquo appendenda-  
rum pecuniarum more dicta Plinius lib. 33. cap. 3. scribit. Fa-  
ciunt nonnulli differentiam inter expensas, quas sumptus vo-  
luntarios & non necessarios, & impensas, quas utiles & ne-  
cessarias dici putant. Sed ea in iure nostro non semper ob-  
servatur. Hoc autem nomine in præsenti decisione venit  
omne id, quod de suo in negotiorum gestionem gestor impen-  
dit, & quicquid eo nomine ei abest, vel absfuturum est. l. 2.  
L. Pomponius. 9. in fin. l. si quis. 28. ff. de N.G. Inveniuntur au-  
tem triplices. *Necessaria*, *utiles*, *voluptuaria*. *Necessaria* sunt,  
fine quibus res domino interirent, vel deteriorarentur, vel  
pignoris distractionem sustineret, vel injuria res suas amitte-  
ret. l. 1. l. 3. §. interdum. 9. & §. seq. ff. eod. Si servus occide-  
retr. l. si pupilli 6. §. Si Titii. 8. ff. cod. Item quas oportet im-  
pendere. l. si quis. 25. ff. eod. ut si quis domum domino nece-  
ssariam emerit. l. sive. 22. l. mandasti. 46. ff. eod. &c. quo  
pertinet. l. Nesennius. 34. ff. eod. Si urgentibus necessitatibus  
rationibus impuberum negotia gerantur, in quantum locu-  
plores facti, sumptus admittuntur. add. l. 2. C. eod. *Ut-  
iles* sunt, quæ rem meliorem faciunt, licet quoque effectum  
non habeant. l. sed an ulro. 10. §. 1. ff. de N.G. e.g. si quis sum-  
ptus ad honores per gradus pertinentes fecerit. l. qua utiliter.  
45. ff. b.t. Si creditoribus hæreditariis solverit. d.l. 45. §. ult. eod.  
Si debitorem exegerit. l. 6. §. item ait. 10. ff. eod. Si usurarum  
percipiendarum nomine sumptus fecerit. l. atqui natura. 19.  
§. ali. ff. b.t. Si indebitum exegerit. l. si quis negotia. 23. ff. eod.  
si mater rebus filiorum utiliter & probabili modo impen-  
derit. l. alimenta 11. C. eod. & quæ his similia exempla in jure oc-  
currunt. Regulariter autem requiritur utilis gestio & bono-  
rum administratio. *Voluptuarie* sunt, quæ speciem tantum  
exornant, quale exemplum proponitur in l. ex duobus. 17. princ.  
ff. eod.

*ff. eod.* frater scilicet, qui in saltu cum fratre communī ampla ædificia ædificaverat, quorum sumtus nulla re urgente, sed voluptatis causa facti dicuntur. His tribus speciebus in nostro argumento, quartam adjungimus; *impensis* nempe *impertinentes*, quæ nullam plane utilitatem nec voluptatem, nec personis, neque rebus adferunt. Qualia exempla sunt, si quis aliquem quasi debitorem domini admonuerit, & is solverit, item si insulam alienam fulserit. *l. 6. §. 9. & n. ff. eod.* Si quis quod alicui debetur, sine voluntate ejus exegerit *l. solvendo. 39. ff. eod.* Idem ius obtinet, cum pecuniam nomine debitoris quis solverit, & illius quid interfuerit, eam pecuniam non solvi. *l. cum pecuniam. 43. ff. eod.* Ita sumptus, quos quis in pupillum, quem Romam tutorum petendorum gratia duxit, fecisse allegat, si matertera ejusdem facere paratam propriis impensis ostenderit. *l. 2. C. eod.* Quemadmodum autem in negotiorum gestione priores tantum duas species admittuntur, adeo ut & usura pecunia impensis, vel sumptuum factorum sub impensis quoque contineantur. *l. at qui natura. 19. §. 4. juncta l. 37. ff. de usur.* posterioribus reprobatis; Ita regulariter in decisione nostra nec illæ peti possunt. Quamvis, si dominus manifesto ex bonis gestoris locupletior sit factus, atque ceterum bona fide atque affectione administraverit, aliis remediis huic succurri, defendamus.

#### POSITIO XIV.

*Meliorationes.* Faciendarum *MELIORATIONUM* etiam *Constitutio* facit mentionem. Hæc etiam vocantur melioramenta. Germanicè *Besserung*/*Verbesserung*/*Überbesserung*. In emphyteusi *Ein Schaukel-Recht*. Vulgo autem *describuntur*, quod sint accessiones, quibus prædia, mutata rei qualitate atque bonitate aucta, præiosiora efficiuntur. *Differunt ab expensis*, primo ut effectus à causa. Per expensas enim & labores meliorationes crescunt & acquiruntur. *Secundo*, quod per expensas non semper res meliorantur, sed sufficit si conserventur, vel damnum avertatur. *Tertio*, expensæ in omnibus negotiis fieri possunt, meliorationes autem in prædiis tam urbanis, quam rusticis. *Quarto*, expensæ integræ petuntur;

in

in exceptione verò meliorationum, non sufficit probare tantum fuisse impensum, sed in tantam summam rem melioratam extare. *Dividuntur* meliorationes, (I) quod sint vel propriè tales vel *impropriè*. *Illa* sunt, quæ respiciunt perpetuam prædij utilitatem, vel saltem ultra tempus juris ejus, qui possidet, duraturam. arg. l. 3 ff. de *impens. in res dotal.* fact. *Ha* vero, quæ deserviunt pro ulteriori & commodiori fructuum perceptione, & quæ sunt solita fieri per bonos patres-familias. *Utraque species in nostra decisione intelligitur.* (II) Quod sint vel naturales, vel industriales & civiles. *Ha* (III) subdividuntur, quod vel sint necessaria vel utiles vel voluptuaria, in quibus pro diverso bona & malæ fidei possessoris qualitate vel iure diversum jus obtinet. *Iterum* (IV) vel sunt moderatae & convenientes, vel excessivæ, & immodicæ, unnothige und übermäßige Besserung/ quæ tanta sunt, ut dominus cogatur rem habere pro derelicto, & in fraudem domini facta intelliguntur. *Vid. l. in fundo. 38 ff. de R. V. I. s. servos. 25. ff. de pignor. action. l. sed an ultro. 10. S. 1. ff. de N. G. l. impensa. 79. S. utiles ff. de V. S. ubi Dd. Menoch. de recip. possess. remed. 15. n. 553.* (V) Vel sunt perpetuae, vel temporales, quæ e.g. consistunt in adificiis, quæ naturaliter quasi senescunt, vel minus utilia redduntur, vel minus affimantur. *Vid. Martum Anton. Sabelli in summo divisor. tractat. lit. M. voc. Meliorationes. n. 17.* De necessariis & utilibus, moderatis, sive perpetuae, sive temporales sunt, in decisione nostra quaestio esse potest. Cum verò sapienter controversiali oriuntur. Wegen Besserung se auss ein Gut gewendet worden / necessarium videtur quædam ad hue obserware. Melioramenta consistentia in expensis necessariis, sive à bona, sive à malæ fidei possessore factis, jus retentionis habent, atque deducuntur, non habitu respectu, ad id quod fuit impensum, sed valoris ipsius materiæ extantis tempore restitutione, sive plus, sive minus impensum fuerit, ita ut omne augmentum vel damnum contingens ex qualitate & cursu temporum cedat lucro vel damno possessoris l. domus. 58. ff. de legat. 1. *Vid. Martam Neapolit. decis. Noviss. Tom. 4. Lit. M. voc. melioratio. cap. VII. Menoch. de arbitr. jud. quaest. cas. 258. num. 51. & 54.* In utilibus vero, quæ ipse

ipse dominus erat facturus, deducuntur, duobus tamen concurrentibus requisitis, nempe, quod predium effectum sit pretiosius & fuerit impensum, adeo ut estimari debeat impensa, quando illa non superant meliorationum valorem, si vero superant, harum tantum estimatio attendatur. *arg. d.*  
*l. in fundo. 38. ff. de R.V.* Ita observavit post *Capyc. decis. 93.*  
*n. 9. Ricc. coll. 2060. Franch. decis. 109. Sabell. loc. supr. all. num.*  
*5. Speidel. in specul. variar. observat. voc. Besserung num. 95.*  
Ceterum cum nostra decisione convenient plura alia juris argumenta. e. gr. in *Emphyteusi*, si adeat expressa conventio, ut etiam melioramenta, ob finitam generationem ad dominum devolvantur, hæredibus emphyteutæ ultimi possessoris nihil est solvendum, qualicunque etiam melioramenta fecerit. *Gratian. disceptat. forens. cap. 934. num. 7. Menoch. lib. 3.*  
*presumption. 32. num. 9. In locatione conductione*, (in qua meliorationes, tanquam à negotiorum gestore facta censentur. *Mart. digest. noviss. part. IV. lit. M.* voce *Meliorationes. cap. 3.*) melioramenta facta à conductore, prædii rustici sunt ipsi vel ejus hæredibus reficienda, nisi conventum fuerit, quod ad dominum cum ipsa re devolvantur. *Rota part. 16. noviss. decis. 305. Sabelli loc. all. num. 2.* In *Inquitino*, si adeat pactum, quod ille non possit melioramenta facere, nisi de domini licentia, qua tamen in scriptis apparere debet. *post Bald. in l. fin. C. de erogat. milit. ann. Tuscius in pract. conclus. jur. Voc. melioramenta. num. 35. & 37.* In *bona fidei possessione*. Quod facta denunciatione possessori, ne faciat melioramenta, is constitutatur in mala fide. *Gratian. disceptat. 193. n. 11. Rota part. 9. recent. decis. 188. num. 29. Marta Neapolit. Digest. Noviss. part. 4. lit. M. voce Meliorationes. cap. 1. Card. Tuscius loc. all. num. 49.* Quæ sunt alia exempla, illa in allegatis Authoribus hinc inde invenire licet.

## POSITIO XV.

*Forma con-*  
*siderit?*  
*respectu*  
*negotiorum*  
*gesistorum in*  
*gestione.*

*FORMA* nostri argumenti consistit in duobus requisitis, quorum *primum* est, *utilis gestio*, alterum *domini prohibitiō* & *contradic̄tio*. *Prius respicit NEGOTIORUM GE-*  
*STOREM.* His verbis autem notatur in *Decisione. admis-*  
*nistrationi*

nistrations earum : res suas administrare : non concedens ei res ejus attingere , licet res bene ab eō gestae sint : ab administratore multas expensas utiliter factas : Observandum autem ( 1 ) verbum gestum significare rem sine verbis factam . *l. Labeo.* 19. ff. de *V. S.* l. licet. § 8. ff. eod. l. 2. ff. de curat. bon. dand. l. 2. § 2. ff. ad municip. Factum autem esse triplex , vel nudum , vel praequam , vel administrationem bonorum . Nudum est , quod corporalem tantum effectiōnem significat . Exempla sunt . in *l. si pupilli.* 6. §. 2. l. Nam & *Servius.* 21. princ. l. si quis negotia. 23. l. si ego. 24. ff. l. si filius. 12. l. si negotium. 16. l. ab uno herede. 19. C. eod. *Pregnans* vero , quod curam & sollicititudinem gestione conjunctam habet . Vid. l. 3. §. 8. l. si pupilli. 6. §. 1. 9. 10. 11. l. 9. ex facto 30. l. fidejussor. 32. ff. l. si pecuniam. 9. cum l. seq. C. eod. Administratio vero est , gubernatio universitatis cuiusdam rerum , accepta & expensa continens , ad rationes reddendas gerentem obligans , qualis est in tutela . l. si defunctus. 10. C. arbitr. tut. l. 5. C. de magistrat. conven. & *Cura* l. 2. & 4. C. de hered. tut. & cur. l. rationes. 14. C. de admin. tutor. Et nonnunquam negotiorum gestio . Vid. l. 6. §. ult. l. at qui natura. 19. §. ult. & l. seq. l. debitor. 13. ff. eod. de qua praeципue in nostra decisione agitur . ( 2 ) Quod , si quis plura negotia gerat non semper multa negotia esse , sed unum tantum contractum , si scilicet ab initio quasi omnia gesturus accesserit . l. si pupilli. 6. §. 7. l. Pomponius. 15. & II. seqq. ff. de *N. G.* l. cum pater. 29. ff. eod. quod si vero quasi unum negotium gesturus accesserit , ut finito eo discederet , deinde nova voluntate & alio animo accesserit , quasi plura negotia gesta esse , & alium contractum existere , atque pro qualitate personarum actionem formari & condemnationem sequi . l. Pomponius. 15. ff. de *N. G.* l. tutori. 20. C. eod. l. si tutor. 13. & l. seq. ff. de ration. disrah. Add. C. 7. A. ad Tit. de *N. G.* th. 8. ( 3 ) Administrationem bonorum vel separationem recipere , vel non recipere . Hujus exempla sunt . Si negotium in servitute coepit , liber post manumissionem continuaverit . l. eum actum. 17. ff. de *N. G.* si quis vivo Titio negotia ejus administrare coepit , illa mortuo eo intermittere non deberet . l. Nam & *Servius.* 21. §. 2. ff. eod. Si divorcio facto maritus uxoris negotia

negotia gesserit. l. divortio. 35. pr. ff. eod. l. si curatoris. 17. C. eod.  
 In his notandum, quod negotiorum gestor à capite rationem  
 reddere debeat. d. l. 19. §. 1. ff. de N. G. deinde, quod si con-  
 tigerit, ut in quibusdam causis lucrum fecerit gestor, in aliqui-  
 bus vero damnum sit passus, lucri cum damno compensatio  
 instituatur. l. si negotia. n. ff. eod. (4) Utiliter gestum negotium  
 tripliciter dici; primo, si gestor à rebus domini damnum averte-  
 rit. Vid. l. 1. l. 6. §. 11. l. debitor. 13. in fin. l. si quis. 25. ff. l. si pecuniam.  
 9. §. l. seq. l. si filius. 12. C. eod. secundo, si ei quid acquisierit, vel  
 ex rebus domini, ut fructus, ueras & pecuniam, quam ejus no-  
 mine solutam, accepit. l. 2. ff. l. Pomponius. 9. in fin. l. 19. §. 4. l.  
 liberto. 31. §. qui aliena. 3. l. litis. 37. §. 1. ff. de N. G. vel extra eas  
 res ut si per occasionem administrationis quid percepitur. Vid.  
 l. 6. §. 9. l. 23. ff. eod. l. si fundum. 8. §. 1. ff. eod. Quod tamen ita ve-  
 rum est, ut si quid ex utiliter gestis acquisitum effectum non ha-  
 buerit, pro utili gesto habeatur. Vid. l. sed an ultro. 10. §. 1. ff.  
 eod. l. si uite hereditaria. 22. ff. l. negotium. 22. C. eod. Tertio, si ex  
 bonis negotiorum gestor quid in utilitatē domini conver-  
 sum, quo locupletior factus est. Ut puta, si ille ex suis rebus u-  
 tiles impensas fecerit, si creditoribus solverit, si se obligave-  
 rit, si quid emerit pro commodo domini. Vid. l. 2. l. qua utiliter.  
 45. ff. de N. G. l. si servum. 10. C. eod. l. 18. C. eod. l. si quis manda-  
 to. 25. ff. eod. l. solvendo. 39. ff. eod. (5) Quamvis decisio nostra  
 in genere & regula loquatur, non tamen ad ultimum casum, si  
 scilicet dominus ex bonis administratoris locupletior factus,  
 extendendum, non improbabili æquitatis ratione, bona  
 fidei congruere, docuisse C. I. A. ad Tit. de Negot. Gest. §. 38. in  
 fin.

## POSITIO XVI.

*Respectu* *domini*, *in* *prohibitione* *speciali* & *contradictione*. Verba decisionis clara sunt. Ibi: *nolente* & *specialiter prohibente*: si contradixerit dominus, &  
*eum res suas attingere prohibuerit*: scilicet post denunciationem,  
*quam ei dominus transmiserit*: item: ex quo testatio ad eum fa-  
*cta*, vel *in scriptis* vel *sine scriptis*, sub *testificatione* *aliarum per-*  
*sonarum*: In his *quinque requisita* continentur. *Primam* *voluntas*  
*domini* *contra* *verbo*; *nolente* significata. *Qua voluntas*  
*alleg. disput. cap. 1. n. 4.* *Opponitur autem contradictione nolle*

VER-

verbo *velle*. Inde in l. 3. ff. de R. I. docetur. Ejus esse non nolle, qui potest velle. Utrum autem inter velle & nolle medium, non velle detur, queritur? Doctores quidem illud sibi reperiisse videntur in l. *filii mater.* 6. §. 1. ff. ad *Senat.* Tertull. l. *jam dubitari.* 86. pr. ff. de *hered.* insit. Item per l. 1. §. 3. ff. de *tribut.* act. Sed ab aliis reprehensi, cum nec usus nec ratio loquendi id ferat. Ex usu enim nolens is solus usurpat, qui non vult, & vice versa, is qui non vult nolens dicitur. Ratio vero non admittit, ut contradictoria vel extrema sint media. Evident verum est, quod non velle & nolle, quandoque differant, dum nolle significat repudiationem vel omissionem liberam actus alicuius, non velle autem interdum tantum quoddam negativum actus volendi: sed nec hoc significatu *non velle* medium esse potest inter volentes & nolentes, quia omnem actum voluntatis removet & tollit, & tam velle quam nolle negat. Vid. *Strauch. all. loc. num.* 5. & seqq. Ceterum presupponitur contrariam voluntatem esse liberam à *metu*, utpote, qui in se ignorantiam habere dicitur. l. item s. 14. §. 3. ff. *quod met. caus.* & quo nihil magis sub celo voluntati contraria est. l. *nihil consensui.* 116. ff. de R. q. cap. super hoc. 5. & ibi *Abb. extr. de renunciat.* Ab errore, qui oram diffusum excludit. l. 4. §. ult. ff. si quis cauit. l. si per errorem. 15. ff. de *jurisd.* l. si *procurator.* 35. ff. de A. R. D. Unde nec contractus, quos error copulavit, valent. arg. l. si id quid. 22. ff. de V. O. l. *continuum.* 137. §. 1. ff. eod. l. *quid tamen* 14. ff. de *contr. empt.* A. *dolo.* qui in qualibet dispositione censetur exclusus. arg. l. *creditor.* 60. §. 4. ff. *mand.* l. si *pater.* 12. ff. que in *fraud.* *creditor.* & nemini debet patrocinari. l. nec ex *dolo.* 12. ff. de *dol.* l. 3. ff. de *transact.* l. is qui *dolo.* 69. ff. de R. V. & in nostra decisi ibi? *dolosa adsimulatione.* Ab affectibus ini quis, ut ira. Quicquid enim iracundiae calore fit, irritum censetur. l. 48. ff. de R. I. cap. *figuis iratus.* 5. *caus.* 2. *quest.* 3. ubi *Gloss.* l. si *filium.* 19. C. de *inoff. testam.* uti observavit *Albericus de Rosate ad nosf.* decisi. SECUNDUM requisitum est, ut prohibitio sit facta specialiter, quod adverbium *Glossa* cum aliis DD. interpretantur expresse, uti volunt accipi in l. sed an ultero. 10. *princ.* ff. de *negot. gest.* l. *negotium.* 22. C. eod.

Secundum proprietatem juridicam vocis species significare videtur, *individualiter*, vel *in individualu*, forte hoc sensu, ut negotiorum gestor causam prohibitionis haud difficulter sub-intelligere possit. In administratione vel omnium vel plurimum negotiorum alicujus domini sufficit, si generaliter indefinite atque simpliciter fiat, omnia mea negotia administrare prohibeo, nec in eo casu ei necessis est, res designare, vel negotia in specie nominare. arg. l. de pupillo. 5. §. qui nunciat. 15. ff. de O. N. N. Debet tamen in utroque casu claris verbis uti, nam alias prohibitio nihil operatur. arg. l. ant qui alter 5. pr. ff. quod vi aut clam. post. Barr. Bald. Castrensis ad h. l. & Salicet ad eand. n. 5. Nihil autem refert, an ipse Dominus, an vero ejus nomine alius prohibeat, inde non tantum persona domino conjuncta cum satisfactione de rato. arg. l. exigendi. 12. C. de procurat. l. sed & h. 35. ff. eod. verum etiam procurator generalis, si habeat justam causam, l. si hominem. 30. ff. mand. admittitur. Alber. de Rosate ad n. leg. TERTIUS M requisi-tum est denunciatio gestori facienda, non promiscue tamen, & quoconque libuerit modo, qualis in aliis actibus sufficit, ut si emptor venditori item de re vendita motam indicat. l. emptor. 8. & l. si post. 24. C. de evictio. Si emphyteuta, volens jus suum alienare, domino attestationem transmittit. l. 3. C. de jur. empb. Ita si venditor, in pacto addictionis in diem, meliore conditione allata, de ea priorem emptorem certior-rem facit. l. necesse. 8. ff. de in diem addit. &c. Cum quibus exemplis in eo convenit, quod illa necessaria sit, nec tacite fieri possit, ut ex antiquis Glossatoribus Castrensis. ad h. l. num. 6. Cyn. ad eand. & alii existimarent, allegantes textus in l. si pro te. 40. ff. mand. junct. l. liberto. 31. §. libertos. 4. & l. ex duobus. 27. princ. ff. de N.G. & casum; si quis mandaverit alicui, ut rem emeret pro decem, mandatarius autem emerit pro viginti; quo tacitam prohibitionem esse ratione superflui statuerunt. Verum in mandato voluntas domini finem erogationis facit, necnulla ulterior prohibito requiratur. Vid. l. 3. §. ult. l. 4. & l. 5. princ. ff. mand. secus in negotiorum ge-stione. QUARTO igitur requiritur, ut denunciatio ista sit solennis; Fiat scilicet vel in scriptis, vel sine scriptis, cum per-sona-

sonarum scilicet presentia, vel ut Imperator loquitur, *sab*  
testificatione aliarum personarum. Scriptura igitur præcise  
non est necessaria, nisi denunciatio fieri debeat per modum  
actionis vel libelli, per *l.* ut perfectius. 2. *C. de annal.* except. quo  
casu tamen manet privata, licet manu Notarii, & testibus  
quoque adhibitis facta fuerit, eo nempe fine quo testibus mor-  
tuis, scriptura fidem faciat. *Castrens. Bart. Bl. ad h. decis.*  
*num. 5.* Alias à voluntate Domini dependet, & sine scriptis  
facta eundem valorem habet. *arg. l. per paclum. 17. C. de pacl.*  
*l. scire oportet. 13. §. oportet. 10. ff. de excus. int.* Utrum autem  
hujusmodi testificatio præcise ad formam denunciationis, an  
ad probationem duntaxat requiratur, queritur? Fulgoſi ſen-  
tentiam ad nostram decisionem, qui pro forma requirit,  
cum Imperator præcise hæc duo disjunctive exigat, ſequi-  
mur. Vid. tamen *difſent.* *Strauchium cap. III. num. 3. &*  
*ſeqq.* Inde per æquipollens, e. gr. ſcientia voluntatis Domini  
contradictria, forma illa præcripta adimpleri nequit. *arg. l.*  
*9. §. 3 ff. ad exhib. l. cum h. 8. §. ſi prætor. 17. ff. de trans. l. i.*  
*§. 4. vers. utrumque ff. de ration. diſrahend.* Facit. *l. ſi pupilli. 6.*  
*§. 3. ff. de N.G.* QUARTUM notatur, nempe transmis-  
ſio ad gestorem, quam hodie insinuationem vel significatio-  
nem appellamus. Hæc quidem principaliter administrato-  
ri, quod ſi tamen ille non adelt, aliis quoque personis ei con-  
junctis, imo etiam domesticis fieri potest, vel ſi in scriptis ad  
domum affigenda, uti notant *Bald.* & *Salyc. ad h. l.* Cate-  
rulum prohibito Domini potest intervenire, vel statim ab ini-  
tio, qua tutissima eft, vel in ipfa administratione, re etiam  
non amplius integra, niſi geſtor in damno verſetur. *l. 5. princ.*  
*ff. de cond. cauf. dat. arg. l. ſi mandatum. 15. ff. mand. l. Papi-*  
*nianus. 14. ff. de public. in rem aft. Alex. ab Imol. ad noſt. de-*  
*cis.* Regulariter enim in hoc mandato diſſert. *§. 9. Inst.*  
*mand. Caſtrenſ. num. 4.*

## POSIPIO XVII.

*FINIS DECISIONIS* eſt triplex. *Primus*, quo do- *Finis.*  
minis rerum suarum jus conſervetur, neque illis gravis injuria  
inferatur. *§. ult. Inst. de his qui ſui vel alien. jur. ſunt.* *§. 40.*  
*Inst. de A.R. D. l. dndum. 14. C. de contrah. empt.* *Secundus.*  
*D 3 Ne*

Ne quis invitus contrahere cogatur. contra *l. sicut. 10. C. de O. & A. Tertius*, quod melius sit, intacta dominorum jura conservare, quam post vulneratam causam remedium querere *l. 5. C. de refit. major.*

## POSITIO XVIII.

*Efectus est  
actio directa concessa.*

**EFFECTUS NEGOTIORVM** invito domino administratorum est iterum duplex. Unus respicit *dominum prohibentem*, alter *gestorem*. Illius ratione ipsa gestio producit obligationem & actionem negotiorum gestorum directam, licet non ex consensu, attamen ex re ipsa. arg. *l. si pupilli. 6. princ. & §. 3. ff. de N. G. l. si liber homo. 36. ff. eod. l. litis contestata. 37. princ. ff. eod.* Est autem actio personalis, qua gestor rei gesta rationem, illi, cuius intuitu administrationem suscepit, ejusdemque heredibus, exacte reddit. *l. 2. l. si pupilli. & §. fin. ff. de neg. gest. & damnum si quod dederit, reficiat. §. 1. Inst. de Oblig. que quasi ex contr. nasc. & l. 5. C. de O. & A.* Hac autem actio non est directa, sed utilis, qua ex sola legis mente per interpretationem deducenda. arg. *l. curatoris. 17. C. de N. G. & l. 7. C. arbitr. tut. ab illa tamen non nisi effectu differt. l. affio. 47. ff. de N. G. Cc. attinet rationum redditio; etiam si bene & utiliter gesfit, ut quicquid, rationibus absolutis & approbatis, ad gestorem, negotii gesti nomine, pverenerit, restituat. arg. *l. 2. l. si pupilli. 6. §. fin. ff. de N. G.* Damnum vero reficere tenetur, si male administravit. Nec interest, si id illatum, vel *committendo*, v.g. si arbores fructuosas succiderit, ædes diruerit, pecuniam male collocaverit. *l. si negotia. 8. l. debitor. 13. l. at qui natura. 19. §. 1. l. sive hereditaria. 22. l. litis. 37. §. 1. ff. de N. G.* vel *omittendo*, videlicet, vel si quid negligenter aut in curia sua perire passus sit: vel quod acquirere potuit, non acquisierit, quibus casibus non tantum de dolo & latra culpa, verum etiam de levissima tenetur. *Vid. l. 6. §. 3. & 12. l. si negotia. 11. ff. l. tutori 20. C. eod. §. 1. Inst. de Obl. que quaf. ex contr. junct. l. si mater. 24. ibi: cum omnem diligentiam prestat debeat. C. de usur. l. in remandata. 21. C. mand.* In quo etiam casum fortuitum. arg. *l. si negotia. 11. ff. de Neg. gest. l. neg.**

l. negotium. 22. C. cod. arg. l. in re furtiva. 8. & l. seq. ff. de condic. furtiv. Si pecunia aliena negotium gestit, lucr etiam amissi ratio habetur, ut gestor ad usuras totius temporis, quo pecuniam alienam non exercuit, obligetur. Vid. l. at qui natura. 19. §. 4. l. liberto. 31. §. 3. l. litis. 37. §. 1. & l. seq. ff. & l. tutori. 20. C. de N. G. l. si mater. 24. C. de usur. Praeterea periculum quoque nominum, quæ contraxit, ipsem agnoscere cogitur, nisi post contractum, cum ante satis locupletes essent, calibus fortuitis suas fortunas ita amiserint, ut amplius solvendo non sint. d. l. 37. §. 3. ff. de N. G. l. periculum. 35. ff. de Reb. credit. Quamvis autem horum administratorum (& quidem merito suo,) durissima sit coonditio; attamen defensione, quæ juris naturalis, carere non debent. Quapropter, si dominorum agentium intentio sit iniqua, Reis defensiones remedio exceptionum competunt atque jure civili comparata sunt. Praeprimis vero, si domini cum damnis gestorum locupletiores fieri debent. Quo casu exceptione compensationis, ad quam Dd. referunt beneficium retentionis, conventi uti possunt, cuius quounque modo iudex rationem habere debet, secundum l. si autem 8. §. 2. ff. b. t. Quemadmodum enim nostra decisio nullibz exceptions prohibuit, ita eam nec effectum obligationum naturalium, qui in producendis exceptionibus jure civili consistit, uti in aliis argumentis contigit, tollere voluisse aper tum est.

#### POSITIO XVIII.

Respectu GESTORIS effectus consistit in denegata obli-  
gatione & actione negotiorum gestorum contraria, directa &  
utili. Quemadmodum enim Proculianorum quidam pollicie-  
bantur directam, (dicentes prohibitionem domini pro non  
facta haberi) quidam utili, propter aequitatem, (ne do-  
minus locupletaretur cum gestoris damno.) Ita Sabiniani  
(quorum sententiam Imperator Justinianus confirmavit) su-  
stinebant, nullam esse adversus dominum vel directam vel u-  
tilem actionem. Quapropter talis negotiorum gestor amit-  
tebat, quod sibi ex causa gestionalis aberat, ut impensas uti-  
liter factas. arg. l. 2. l. si quis negotia aliena. 25. l. qua utiliter. 45 ff. de  
N.G.

N. G. & usuras l. ob negotium. 18. C. cod. l. at qui natura. 19.  
 §. non tantum ff. eod. Vel abfuturum erat, ut si ille pro domino  
 se obligaverit. arg. d. l. 2. & l. si quis mandato. 28. ff. eod. Et  
 quidem hæc poena iusta est culpæ ejus, qui sine causâ rebus a-  
 lienis se immiscuit, per l. 36. ff. de R. I. Cum verò naturalis  
 ratio dicit, neminem debere cum alterius damno fieri lo-  
 cupletiorem l. 14. ff. de cond. indeb. Doctores antiqui & mo-  
 derni quæstionem moverunt: *An hoc casu singulari actio,*  
*quam in factum appellant, locum habere possit?* Martinus,  
 Castrens & alii ex veteribus Interpretibus Busius ad l. 31. §. li-  
 bertos. ff. de Neg. gest. Grönvægen de LL. Abrog. Autome in  
 cens. Jur. Gall. ad nostram decisionem. Molinaus ad Consue-  
 tud. Parisiens. Tract. de Fiel. §. l. num. 103. Boer. decisi. 47.  
 num. 5. affirmativam defenserunt, propter rationem æquita-  
 tis, allegantes l. si me & Tittium. 32. ff. de R. C. l. plane. 38. ff.  
 de Her. petit. l. Julianus. 37. ff. de R. V. l. domum. 5. C. cod.  
 add. Cujac. lib. 10. obs. 1. & lib. 13. obs. 26. in fin. His ex recen-  
 toribus. Brunnemann ad hanc decisionem dubius hæret,  
 dum scribit, annon debitor creditori juramentum deferre pos-  
 sit, interim, se conscientia cujusque relinquere, an hoc be-  
 neficium sibi ab alio collatum conferre debeat. *Negativam*  
 verò post Gomez. Tom. 2. cap. 13. n. 11. Stranch. ad hanc decis. c.  
 2. n. 17. & seqq. refutatis contraria sententia rationibus, am-  
 plexus est. Ratio ejus allegatur loc. cit. num. 22. & cap.  
 „seq. num. 8. & seq. quod geltor non ivit in creditum justi-  
 tia commutativa, prohibitione obstante, et si forte ex ho-  
 nestate debitores habeat. Nec fidem domini is sequi po-  
 tuit, qui ne sequatur, disertè prohibitus fuit. Hinc re-  
 „& Petrus de Bel. P. hanc determinationem, ut loquitur, Pillei  
 „verbis procedere a remotis olim dixit, quod sentit & Cynus  
 „ad hanc legem & Fulgosus. Proinde non deberent Inter-  
 pretes liberaliores esse in actionibus dandis ipsis Imperato-  
 ribus & Jurisconsultis, cum nec juris actionem aliquam  
 quamcumque admittat. Nos priorem sententiam secun-  
 dum nostræ decisionis verba expressa veriorem existimamus.  
 Quid autem ad Strauchi rationes decidendi & respondendi  
 secundum veritatem theoreticam regerendum sit, in ipso a-  
 micali conflictu, si dabitur occasio, ulterius exponemus.

## POSITIO XX. &amp; ULTIMA.

*CONTRARIA* decisionis plura in singulis fere causarum generibus supra notavimus. Superfunt tamen ad-  
huc quādam alia, *Primum* ipsa Constitutio indicat, verbis : *Contraria*  
*Quid deinde, si dominus adspexerit ab administratore multas expensas utiliter factas & tunc dolosa ad simulatione habita, eum prohibuerit, ut neque anteriores expensas præstet, quod nullo modo patimur, item, super anterioribus autem, si utiliter factæ sunt, habere eum actionem contra dominum concedimus suā naturā currentem.* Quibus distinguitur in admini-  
stratione bonorum, inter actus gestionis denunciationem præcedentes & subsequentes eandem ; ita ut illi valeant, ex-  
pensa utiliter factæ repeti possint, & actio sua natura currat. Et sicut, si dolo dominus egerit, ex principiis actionum hu-  
manarum, denunciatio non valet; ita, licet dolus absit, & Dominus atque gestor bona fide egerint, ex naturā prohi-  
bitionis idem jus obtinet. Nam prohibitio ad casus præ-  
teritos non pertinet. arg. I. fin. §. item si prædixerit. ff. Nant.  
caup. Stabul. I. sed & si pupilli. 11. §. de quo. 2. ff. de Instit. a-  
ction. Dd. ad nosl. dec. Secundum, si dominus post denun-  
ciationem factam & administrationem absolutam, gestionem *secuno-*  
ratam habuerit. Habemus autem hujus nostræ sententiae *dum-*  
fundamentum in I. § pupilli. 6. §. item quaritur. 9. & 10. I.  
Pomponius. 9. §. 1. ff. I. si pecuniam 9. C. de N. G. Quod si enim  
dominus negotium ad se non pertinens ratihabitione suum  
negotium gelatum facere potest: si male gestum probare pot-  
est, cur non administrationem prohibitam, utiliter ab amico  
& viro honesto postea gestam bona fide approbare poterit.  
Rationem juris desumimus ex principio juris naturalis, quod  
voluntas posterior primam emendet. I. quod traditum. 87. ff.  
de condit. & demonstrat, que tamen probanda. I. eum qui 22.  
ff. de probat. I. fideicommissa 11. §. si rem. 12. ff. de legat. 3. cap.  
scribam. 9. extr. de presumpct. add. Barbos. Axiom. lib. XIX.  
verb. voluntas. num. XIX. & XXXIII. Coeterum, cum dicta  
lex nona Digest. de N. G. sit difficilis, & contrarias Scævolæ  
& Pomponi sententias contineat, accuratam ejus interpreta-  
tionem, Vid. apud Strauchium supra alleg. Exerc. II. c. IV. n.  
17. 18. 19. 20. & 21.

*Tertium.*

*TERTIUM contrarium est, si administratio posterior à priori sine damno & domini & gestoris separari non possit. Fundamentum suppeditant l. Pomponius 15. & l. eum acutum. 17. ff. de N. G. Nam in nostra quoque decisione juris naturalis regula viget. Quaecunque prioris negotii explicandi causa geruntur, nihilum refert, quo tempore consumantur, sed quo tempore inchoantur. Cui facto convenit causus decisio, quam Strauchius sup. allegat. exercitat. II. cap. III. n. 11. & 12, annotavit. Verba iplius hæc sunt: Hactenus diximus, quod contra prohibentem nulla detur actio. Sed numquid gestori exceptio retentionis competit? Probabilis videtur Petri de bella pertica distinctio, an propterea postprohibitionē quis in gestione perseveraverit, quod desistendo, impensas à Domino ante prohibitionem factas non possit recuperare: puta: Vineam colui domini pauperis, adversus quem, negotia deserendo: actionem inanem habitus sum. Itaque pergo in cultura, ut exceptione retentionis mihi consulam. Respondet Perrus, uti me retentione posse. arg. l. 30. l. qua omnia. 25. in fin. ff. de procurat. Etsi enim textus noster absolute neget: Tamen id ad retentionem non videtur pertinere: Imo dixerim, expresse hunc casum in ipsa decisione nostra exceptū: Nam dominus pauper, qui scit solvendo se non esse, hoc ipso, dum prohibet, dolosa assimulatione prohibet, ne antiores quoq; impensas præstet. Igitur non tantum retentionem; sed nescio, an noui & actionem habiturus sit. Vid. Cyn. ad h. l. n. 4. His addimus, eadem ratione militante, qui in rationibus gestoris accipiendis, examinandis, residuo solvendo & se difficilem præbet, eodem jure teneri.*

Effet quoque, ut de praxi hodierna decisionis, tam in Foro Gallico, quam Germanico, in jure publico, & hoc tam civili quam militari, atque privato agamus, verum enim vero, cum præter intentionem excreverit praesens interpretatio, ejus trajectationem, proxima, SI DEO PLA-CUERIT, occasione reservamus.

SOLI DEO GLORIA.

Strassburg Diss. 1711-15

X 2310583



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
inches  
Centimetres

Q. D. B. V.  
EXERCITATIONUM ACADEMICARUM

<sup>ad</sup>  
Quinquaginta

1711,7  
**DECISIONES**  
IMP. JUSTINIANI

PRIMAM

ad

L. ult. C. de Negotiis gestis.

DE

NEGOTIIS PROHIBENTE  
DOMINO GESTIS

VERBOTENEN VERWALTUNGEN  
FREMDER GESCHÄFFE  
von  
Quam proponit

P R Ä S E S

**ULRICUS MARBACHIUS**

U. J. D. Codicis & Feud. Consuetud. P. Ord.  
Venerandi Capituli Thomani & Facultatis Juridicæ SENIOR.

SOLENNITER

pro viribus defendet

**ELIAS SILBERAD,**  
ARGENTINENSIS.

Ad Diem 12. Mensis Decembris.  
ANNO CHRISTI M D C C XI.

Typis JOHANNIS PASTORII.